PRÆFATIO

Benignus favor, quo priora incœpti commentarii in *Summam theologicam* volumina accepta sunt, haud mediocriter cor nostrum movet, animum roborat, stimulosque ad prosequendum opus adjicit. Non solum enim ex canadensis regionis clero summisque Pastoribus, in primis ex doctissimo Præsule qui Quebecensem Ecclesiam sapientissime moderatur, sed et ex illustrissimis viris, quorum scientia nomenque sunt tum Europæ tum Americæ decus, prodiere suffragia apprime laudatoria de quibus gratias Deo rependimus. Hæc quidem, collatis quæ cepimus propriis experimentis de aptiori ratione tradendi sacram Theologiam, magis magisque suasos nos faciunt illam præ cæteris methodum excellere qua juvenum mentes severiori disciplinæ subdantur deque ipsis fontibus thomisticis doctrinalem sapientiam haurire assuescant.

Materia hujus voluminis erit divinæ gratiæ cœlestiumque virtutum indoles visque, post miserandum humani generis lapsum, reparatrix et efficax. Jam enim commentando